



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio IV. De attributis diuinis in particulari, ac primo de Simplicitate,  
& Perfectione, & Bonitate Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



# DISPUTATIO QUARTA.

De Attributis diuinis in particulari. Ac primò de  
Simplicitate, Perfectione & Bonitate Dei.

Sectio I. *An Deus sit ens simplicissimum, & ex per se omnis compositionis?*

Sectio II. *De Perfectione Dei. Sine Deus ens perfectissimum, & illuminatum in  
omni genere perfectionis?*

Sectio III. *De Bonitate Dei. Sine Deus summè bonus, & bonus per essentiam?*

**D**E tribus Attributis in titulo huius disputationis propositis  
differit Sanctus Doctor quæst. 3. 4. & 6. In quarum pri-  
ma docet 1. Deum non posse esse corpus, quia est pri-  
mum mouens immotum, & primum ens, atque omnium  
nobilissimum. 2. Deum non esse compositum ex mat-  
ria & forma, quia est actus purus, nihil habens de potentialitate:  
estque primum bonum, & optimum: & primum agens simpliciter:  
non egens aliquâ formâ, cuius participatione sit bonus: & per quam  
constituatur potens ad agendum. 3. Deum esse idem quod suam es-  
sentiam: cum non sit compositus ex materia & forma. 4. Esse quo-  
que incompositum ex esse, & essentia: quia est primum ens, à nullo  
alio causatum: & actus purus, cuius esse non potest ad essentiam com-  
parari, ut actus ad potentiam: & est per suam ipsius essentiam, non  
autem per participationem. 5. Deum in nullo genere contineri, siue  
directè, siue reductiue: quia est actus purus, cuius existentia  
non distinguitur ab essentia: & est principium cuiusque generis re-  
rum. 6. In Deo nulla esse accidentia: quia cum sit actus purus, non  
est in potentia ad accidentia: & cum sit ipsum esse, nihil aliud sibi  
adiunctum habere potest: cumque simpliciter sit primum ens, non  
potest in illo esse aliquid per accidens. 7. Ex iisdem principiis de-  
ducit Deum esse ens omnino simplex: ac ne quidem posse in alicuius  
compositionem venire, vel ut mundi animam, vel ut formam, aut  
materiam, sicut aliqui falsò existimarunt. In secunda quæstione as-  
serit Deum esse perfectissimum, cum sit primum principium effe-  
ctiuum: & perfectiones omnium rerum continere, cum sit causa effecti-  
ua cæterorum omnium, atque ipsum esse per se subsistens: nullamque  
creaturarum posse illi similem esse secundum eandem specificam, aut  
genericam rationem: sed tantum secundum aliquam analogiam. In ter-  
tia affirmat Deum esse præcipuè, & iummè bonum: quia est maximè ex-  
petendus: & quia cum sit causa cæterorum omnium bonorum, non vni-  
uoca, id est, eiusdem speciei: sed æquiuoca, id est, nobilioris naturæ:  
continet eminentes, & modo excellentissimo, eorum omnium perfectio-  
nes. Solumque Deum esse bonum per essentiam: quia Dei solius essentia  
est suum esse, & illi nulla adueniunt accidentia, quibus perfectio-



tur: sed ea, quæ de aliis dicuntur accidentaliter, ipsi conveniunt essentialiter, ut esse potentem, & sapientem: neque ordinatur ad aliud, sicut ad finem: sed ipse est ultimus finis omnium rerum. Unde habet per suam essentialitatem triplicem illam perfectionem, quæ creaturis convenit, per suam ipsarum esse, per accidentia superaddita, & per affectuositatem finis. Hæc D. Thom. quæ sequentibus sectionibus explicanda sunt. Consultè autem præmittimus quæstionem quintam, quia in illa S. Doctor de bono solum in communi purè philosophicè disputat.

## SECTIO I.

*An Deus sit ens simplicissimum?*

**C**onclusio D. Thomæ quæst. 3 præfertim art. 7. & communis Theologorum, est Deum esse ens realiter simplex, id est, expers cuiuscunque realis compositionis intrinsecæ. Idem enim est esse simplex, ac non esse compositum intrinsecè: sicut idem est esse unum, ac non esse intrinsecè multa divisa. Simplex inquam, est illud cuius nihil est sumere quod non sit ipsum totum: siue, quod nullis constat partibus, aut diversis entitatibus, vel etiam entitatibus in re distinctis, quales per multi præstant esse modos ærum intrinsecos.

Probatur  
per am esse  
ens simpli-  
cissimum.

Conc. Lat.

Concil.  
Rhemense.

Dionysius:

Hæc doctrina patet primò ex dictis disputatione superioribus de indistinctione attributorum, tum inter se, tum ab essentia. Vbi enim non est distinctio; nec oppositio realis esse potest. Secundo probatur ex definitione Concilij Lateranensis capite Firmiter, initio: & capite; *Damnatus*: ubi dicitur tres personas esse unam essentiam, substantiam, seu naturam simplicem omnino. Et, Patrem non dedisse partem substantiæ suæ Filio, partem verò sibi retinisse: cum substantia Patris indivisibilis sit, ut potest simplex omnino. Neque esse in Deo quaternitatem, quia tres proprietates personales, quantumvis relative oppositæ inter se, & distinctæ realiter ab invicem, non distinguuntur tamen ab essentia: Unde neque cum illa componunt. Si autem illa non distinguuntur; minor est ratio distinguendi alia attributa divina, non oppositæ relative inter se: de quibus etiam id definitum fuit contra Gilbertum Porretanum in Concilio Rhemensi sub Eugenio II. ubi sic habetur: *Credimus Deum non nisi sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse: Non nisi æternitate quæ est ipse Deus, æternum esse, &c.* Ibidemque assertum nihil in Deo esse ab æterno, quod non sit Deus. Quæ falsa essent si hæc attributa essent in re distincta à Deo. Nam enim falsum esset dicere, Deus est sapientia, quod non est falsum dicere, sol est lux.

Tertio idem confirmandum valent testimonija sanctorum Patrum relata disputa-

tione præcedenti sect. 2. Ut illud Dionysij, cap. 5. de divinis nominibus, *Omnia igitur ipsi quæ sunt, secundum unam omnibus eminentem unitatem accepta, sunt referenda, & paulò post: Omnia quidem in se ante completitur per unam simplicitatis excellentiam, omne renuens duplex.* Et illud August. lib. 6. de Trinitate capite 4. *Hoc est Deum esse, quod fortem esse, aut ipsum esse, aut sapientem esse, & si quid de illa simplicitate multiplicata, aut multiplici simplicitate dixeris.* Quibus de illud Basilij Epist. 90. circa medium, *Quacunque nomina divina protuleris, unum est scripturæ quod significatur.* Et Boëtij libro de Trinitate ante medium; *Hoc verè unum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id quod est.* Et Anselmi in Monolog. cap. 16. *Idem est quodlibet unum illorum quod omnia sunt simul, siue singula. Ut cum dicitur unitas, vel essentia: unum significat, quod alia, vel omnia simul, & singula.*

Boëtius:

Anselmus:

Quarto, probatur ratione: quia simplicitas, siue consistat formaliter in negatione compositionis intrinsecæ, siue in modo positivo compositioni opposito, de quo Scotus & Caietanus litigant: siue potius vox illa, *simplicitas*, significet in recto rem quæ nullis constat partibus, & consistet verò carentiam partium & compositionis intrinsecæ: importat tamen modum essendi perfectiorem, cæteris paribus: quia non potest habitari quin cæteris paribus melius sit habere summam & consummatam perfectionem in simplici entitate, quam ex adiunctione plurium. Ergo hic modus est Deo tribuendus, quippe qui debet perfectissime concipi, quoad fieri potest. Nullum autem est argumentum essentiale, quo hic modus essendi ostendatur esse indubitabilis: & contrario in rebus naturalibus non desunt argumenta quibus appareat res excellentiores unice in simplici entitate, quæ in inferioribus multa sunt & dispersa. Tertio, nulla est ratio ponendi in Deo compositionem realem ex materia, & forma, aut ex partibus quantitativis, cum Deus sit spiritus perfectissimus. Neque ex partibus intensivis, quæ carent etiam substantiæ materiales, Deo longè inferiores. Neque ex oppositi & natura, quæ ne forte quidem in creaturis realis est, ut ostendimus alibi: nec si in istis est, non est certe in Deo, in quo proprietates hypostatice non sunt distinctæ a natura, ut in Conc.

Simplicitas  
est modus  
essendi  
perfectior.

Nulla in  
Deo est  
alio com-  
positio.



Lateran. definitum est, cap. *Damnatus*: multoque minus subsistentia absoluta & communis, si qua in Deo est. Neque ex substantia & accidentibus: cum Deus sit actus purissimus, & per suam simplicem entitatem infinite nobilissimam, eminentissimam, ac sufficientissimam, constituatur in esse perfectissimo, quo intrinsece est quidquid est, nullius distinctæ realitatis indigens, imo illius incapax, ut sit intrinsece id quod est: quia sine imperfectione advenire non posset, & intrinsece ipsum constituit. Hoc enim sonat imperfectionem, ut Deus ab aliquo à se distincto accipiat esse intrinsecum, aut per illud constituatur in esse reali intrinseco. Eademque de causa removeri debet à Deo quævis alia, si quæ est alia, compositio intrinseca realis.

4  
Existencia non distinguitur ab essentia.

D. Thomas q. 3. a. 7. ad idem confirmandum quinque rationes addit. In quarum prima remouet à Deo compositionem etiam ex essentia & existentia, & ex genere & differentia. At illæ inter compositiones reales numerandæ non sunt. Eæ enim res confusæ concepta & inadaquate, prout conuenit cum alijs essentialiter diuersis, concipitur ut genus: Expressius verò & distinctius considerata, prout differt ab illis, differentia est. Cumque existere nihil sit aliud, quàm esse actu in rerum natura extra nihil, seu extra puram potentiam obiectiuam essendi: sicut essentia actualis seipsa formaliter est in rerum natura, & non per aliud: ita seipsa formaliter existit, & non per aliud. Ac sicut impossibile est ipsam poni in rerum natura extra potentiam obiectiuam, per aliud formaliter: sic fieri nequit ut existat formaliter per aliquid à se distinctum. Implicat enim ut aliquid sit aliud à se. Ergo pariter implicat, ut actualis positio vnius, sit positio alterius formaliter. Ergo etiam implicat, ut essentia existat formaliter per positionem existentia distinctæ. Cæterum distinctio & compositio rationis, eaque multiplex, atque etiam virtualis realis, non repugnat simplicitati Dei. Quod si speciatim compositio ex genere & differentia Deo repugnat, ut Sanctus Thomas existimauit; non repugnat ex vi compositionis secundum rationem. An verò absolute repugnet, pendet ex alijs principijs, sicut vere potest ostendi de vocatione, abstractione, & similibus, in quibus immorari non est præsertim.

Distinctio rationis, cuiusque compositio non repugnat Dei simplicitati.

Reliquæ rationes quibus D. Thomas articulo citato quædam à Deo compositionem realem & intrinsecam remouet, sunt quia omne compositum, est posterius partibus suis componentibus, & ab illis dependet: Deus autem est primum ens, & à nullo dependet. Item omne compositum est tale ut alicuius causæ vniuersales componeret, seu actiue componeret: Deus autem est ens à se, id est, existens per essentiam, & ex sola perfectione ac necessitate suæ essentia: Non autem vi alijs causæ. Tertio, Deus est intrinsece actus purus: Ergo est ex-

pers omnis compositionis intrinsece ex potentia & actu, ex subiecto & forma: Cuiusmodi esset compositio ex partibus essentialibus, aut ex essentia & attributis quibuscunque, si quæ illa componerent. Quarto, Deus est ipsum esse, id est, ens à se illimitatum & infinitum in genere entis: ergo non eget compositione. Quicquid enim indiget alio, est limitatum, & ab illo emendicat partem aliquam suæ perfectionis: Neque est possibile ens illimitatum componi ex entibus limitatis, cuiusmodi sunt ea omnia quæ exigunt aliud cum quo component, & à quo perficiantur: Atque ut rectè ait S. Hilarius lib. 7. de Trini. longè ante finem. *Non ex compositis atque inanimis Deus, qui vita est, subsistit. Neque qui virtus est, ex infirmioribus continetur. Neque qui lux est, ex obscuris coaptatur. Neque qui Spiritus est, ex disparibus formabatur. Tunc in eo quod est, unum est.*

Hilarius.

Præter realem compositionem intrinsecam, simplicitati repugnantem, de qua hucusque diximus; alia est extrinseca, quæ quodcum alio componit, quamuis in se non componatur: quæque ipsum denominat actiue componens, non passiuè compositum. Et hanc quoque videtur D. Thomas à Deo penitus remouere art. 8. in corp. sed intelligendus est de compositione perfectiua, quam Deus exigit ut per eam perficiatur. Hoc enim ait contra Ebnicos illos qui, ut partim, S. August. lib. 7. de Ciuit. cap. 6. partim alij referunt, senserunt Deum esse materiam primam, vel animam mundi, & principium essentialiter constitutum omnium rerum, vel esse animam cæli, aut dominum; idque ex naturali quadam necessitate & exigentia ipsius Dei. Qui exores stolidi sunt. Est enim Deus simplici sua entitate ens perfectissimum, & vnicum in sua veluti specie: neque eget alio, per quod perficiatur: Neque postulat ut sit pars essentialis vel integralis alicuius entis. Nec denique ut aliquid distinctum in se recipiat, vel ut addatur aut uniat alicui. Alioqui tamen non repugnat ut aliquid, quod re ipsa sit Deus & entitas diuina, componat cum alio. Etenim hypostasis Verbi diuini componit Christum cum natura humana, ut loquitur Concilium Lateran. sub Martino primo, can. 4. & V. Synodus generalis collatione 8. can. 4. Non secundum indigentiam aut exigentiam, sed secundum sufficientiam diuinæ hypostasis, quæ non perficitur per naturam humanam, nec cum illa constituit aliquid melius aut perfectius, quàm ipse sit per se, nisi extensiuè quodammodo, quatenus ultra totam perfectionem formalem hypostasis diuinæ, includit formalem perfectionem humanitatis. An verò natura ipsa diuina, etiam sola sine hypostasi, possit componere, in tractatum de incarnatione rejiciendum est. Quod si componeret: id non faceret secundum exigentiam vel indigentiam, sed secundum sufficientiam eminentem, ad tribuendam perfectionem alicuiam; sicut hypostasis Verbi di-

Deus non componit cum alio & necessitate, aut indigentia.

August.

Potest ex abundantia & sufficientia, sicut hypostasis Verbi componit cum natura humana.



buit humanitati subsistere.

Contra doctrinam præcedentem, præter Scoti argumenta, alibi refutata, objici duo solent. Primò, quòd actus contingentes & liberi intellectus, & voluntatis diuinæ, non videantur pati posse simplicitatem omnimodam realem. Secundo, quòd in Deo sit multitudo personarum diuinarum distinctarum realiter. Vbi autem est multitudo, non est simplicitas.

Ad primum Respondeo, actus liberos & contingentes nihil in re distinctum superaddere entitati diuinæ, sed rationes quasdam, & vsus, vt suis locis explicabitur. Ad secundum Respondeo primò, sermonem esse in præsentia de Deo vt vno, secluso mysterio Trinitatis Personarum. Secundo, multitudinem illam nõ efficere compositionem, ideoque non opponi simplicitati de qua loquitur. Etenim personæ non componunt cum entia, à qua non distinguuntur realiter, extra definitionem Concilij Later. c. 2. supra citato. Neque etiam componunt inter se: quia non vniuntur ad inuicem, sed identificantur cum essentia: Ad compositionem autem realem, distincti extremorum cum vnione necessaria est. Tertio, esse simplex, aut esse compositum, est attributum entis, non entium. Tres autem Personæ non sunt ens, sed entia, & trinitas: ideoque nec simplices, nec compositæ dici debent. Denique simplicitas opponitur multitudini entis vnici in seipso, estque, veluti species vnitatis transcendentalis, quæ diuiditur in vnum simplicem vnitatis, & vnum compositionem seu coniunctionem plurium.

Multitudo personarum diuinarum non officit simplicitati Dei.

SECTIO II.

De Perfectione Dei.

Doctrina D. Thomæ q. 4. a. 1. & 2. & communis Theologorum est, Deum esse ens perfectissimum, adeoque perfectum vt rerum omnium perfectiones contineat: ita vt non modò sit perfectissimus negatiue, quatenus nihil est ipso perfectius: aut positue, ita vt ipse sit perfectior cæteris omnibus, sed eo gradu eminentiæ, vt quidquid est perfectionis in cæteris, totum illud excellentissimo & perfectissimo modo comprehendat.

Probatur Deum esse ens perfectissimum Dionys.

Irenæus.

Clemens.

Talem conceptum Dei exprimit Dionysius cap. 5. de diuinis nominibus dicens de Deo, quòd non quidem hoc est, hoc autem non est: sed omnia esse vt omnium causa. Et cap. 13. cum dixit, Deum esse omnia vnice: & totum esse vniformiter præcipere. Et Iren. lib. 4. cap. 3. in initio cum dixit, Deum continere omnia; vel esse omnia, vt loquitur Clemens Alexand. 1. Pædag. c. 2. prope finem. Et denique, Deum, omnium Dominum & factorem, esse omnia vnice existentia, & vnum omnia existentia, nam omnium plenitudo vnica est, & in vno,

vt ait Trismeg. apud Cyril. Alexand. lib. 1. contra Iulianum in fine, iisdem fere verbis. Sic etiã Deus ipse de se Moyse dixit: Ostendam tibi omne bonum, Exod. 33. & Ioannis 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat. Et Roman. 11. v. vltimo. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Cyri.

Talem etiam concipiendum esse suadet ratio naturalis. Tum quia de diuina perfectione quam perfectissimè fieri potest sentiendum est. Tum quia quidquid perfectionis est aut esse potest: vel increatum est, vel creatum. Si increatum; in solo Deo est: nam extra ipsum nihil est increatum. Si creatum; ergo à Deo esse debet, vt ab omnium fonte, & causâ efficiente primæ & totali. Quidquid autem perfectionis est in effectu, necessario præsupponitur in principali & totali causâ efficiente, quæ ex se, vel ex propria ac sufficiente virtute potest talem perfectionem communicare effectui: alioqui enim quomodo posset eam communicare, aut vnde effectus illam haberet? Continetur, inquam, effectus præsupponitur in causâ, vel eminenter, si causâ sit æquiuoca; vel formaliter, si vniuersa. Adde quòd quæ aliæ causæ cum Deo concurrunt ad aliquos effectus, illæ omnes à Deo sunt, & vim cauendi ab ipso acceperunt. Quare quidquid virtutis & perfectionis habent à Deo habent: ideoque omnia debent in Deo præesse, vt in omnium causa.

Deus continet omnem perfectionem.

10.

Ad maiorem attributionem huius declarationis, Nota primò, perfectum dici ab Aristotele 5. Metaph. cap. 16. id cui nihil deest: metaphorâ desumptâ à rebus quæ sunt, quæ perfectè dicuntur, quando nihil illis faciendum superest. Duobus autem id modis intelligi potest. Vel nimirum *primitiue*, ita vt nihil deest eorum quæ rei debentur ex natura sua, & exiguntur naturaliter ab illa: quo pacto definitur à D. Thoma q. 4. a. 1. in fine Cor. perfectum esse id, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis: id est, cui nihil deest eorum quæ naturæ ipsius conuenientia sunt. Vel secundò, *negatiue*, ita vt absolutè nihil perfectionis deest, sed omnes omnino atque quo modo contineat. Prior vocatur perfectio secundum quid, & partialis, in aliquo genere vel ordine. Posterior dicitur perfectio simpliciter, & totalis, in omni genere entis. Rursus in priori perfectionis modo; quæ in rebus exiguntur vt essentialia; quædam vt extra essentiam, siue substantialia illa sunt, siue accidentalia. Vnde aliæ sunt perfectiones rebus debentur essentialia, aliæ substantiales, aliæ accidentales. Et quidem perfectio secundum essentialia rei debita, nulli deesse potest: cum impossibile sit rem sine tota sua essentia vel concipi, vel esse. Inde talis perfectio conuertitur cum ente, & à perisquis Philosophorum assignatur pro transcendentali bonitate primaria. Perfectio verò substantialis quædam partes integrantes v. g. vel quoad substantiam, vel

perfectum quid dicitur, & quo tripliciter

D. Thom.



quoad accidentia, multis deesse potest. Deus autem utroque modo perfectissimus est: & perfectione opposita imperfectioni privativa, quia ipsi nihil deest perfectioni debita: & perfectione opposita imperfectioni negatiua, quia nulla est perfectio aut esse potest, quam non contineat eminenter aut formaliter. Cum enim Deus sit ex seipso: habet seipso, & ex seipso totam perfectionem sibi debitam. Neque illam privari potest, vel a causa superiori, quam nullam habet, cum sit ens primum & independens: vel a seipso, tum quia potius, ut solent alie res, naturaliter appetit & retinet perfectionem sibi debitam, nisi ab alio potentiori illa priuatur, quod est impossibile: tum & precipue, quia non habet huiusmodi perfectionem a seipso effectiue, sed formaliter seu negatiue, per exclusionem alterius: quia scilicet non ab alio, sed ex formali eminentia & excellentia sue nature. In hunc enim sensum intelligendum est quod dicitur, Deum esse a se, id est, negatiue, non esse ab alio. Et quemadmodum non subest eius causalitati, & liberrati, ut sit vel non sit: ita non subest, ut omnem perfectionem naturaliter sibi debitam habeat, vel non habeat. Præterea cum sit primum ens, non modo negatiue, quatenus non ab alio, sed etiam positiue, quatenus prius causalitate, & radix prima & totalis reliquorum omnium: necesse est in ipso aliquo modo contineri quiddam extra ipsum perfectionis aut esse, aut esse potest, ut se huius supra declaratum fuit. Dixi, aliquo modo: neque enim omnes perfectiones eodem modo continet: sed aliquas formaliter, id est, secundum idem nomen, & eandem rationem communem, seu conceptum formalem, abstractum a Deo & a creaturis: ut gradum substantie, spiritus, intelligentis, & similes: quasdam eminenter, id est, secundum perfectionem quandam rationem, in qua continentur nobiliori modo, quam continentur ex productione aut quasi productione, principali & totali, colligimus: quo pacto continet gradum corporis, animalis, rationalis, & similes qui in suo conceptu imperfectionem inuoluunt.

Nota secundò, Deum essentialiter ita perfectum esse, ut intrinsece, etiam in sola ipsa essentia, omnes contineat perfectiones formaliter quidem simpliciter simpliciter eminentes. Hæc enim duo perfectionum genera distinguunt Theologi, & illas vocant simpliciter simplices, quæ neque inuoluunt imperfectionem vllam, neque repugnantiam vel oppositionem habent cum alia maiori, vel æquali perfectione. Sic enim interpretor vulgarem illam definitionem Aristoteli, que melior ipsa quam non ipsa, aut qualis alia incompatibilis cum ipsa cuiuslibet ensi, ut ens est. Cæteras vocat perfectiones secundum quod quæ scilicet vel imperfectionem aliquam inuoluunt, vel repugnant alteri perfectioni æque bonæ, aut meliori se. Priores ergo dicimus esse formaliter de conceptu intrinseco

Perfectio simpliciter simplex, & Perfectio secundum quid.

essentia diuinæ: cæteras eminenter. Dixi, de conceptu intrinseco essentia, siue secundum rationem essentialem præcisè conceptam: Nam alioqui in esse diuino totaliter sumpto, sunt formaliter etiam quædam perfectiones non simpliciter simplices: ut relationes personales, & attributa non necessaria, sed contingencia, quatenus talia sunt.

Præterea, tertio notandum est circa perfectiones creatas, nullam earum secundum modum & adæquatam rationem, quam in creaturis habet esse in Deo formaliter, sed eminenter tantum. Ut sic enim non est pura & simplex, neque libera ab imperfectione dependentia. Quare non est in Deo sapientia, V.g. qualis in creaturis, finita, dependens, accidentaria physice, & realiter producta a vitali principio. Aliquæ tamen sunt e creaturis perfectionibus, quæ si in creaturis in adæquate, & abstrahantur ab imperfectione modo quem in re habent, dicuntur in Deo contineri formaliter, non in eodem in adæquato, sed in simili quasi specificè aut genericè: quia Deus secundum illas habet aliquam formalem conuenientiam cum creaturis, ratione cuius illa perfectio secundum idem nomen, & eandem rationem seu conceptum formalem tribuitur Deo & creaturis: siue id fiat analogicè, siue vniuocè. Quando verò non est talis conuenientia, nec formalis denominatio: tunc dicuntur tantum contineri eminenter. Primi generis sunt substantia, spiritualitas, sapientia &c. Posterioris, corporeitas, humanitas, equinitas, albedo, & similia quæ secundum propriam suam rationem, & nomen, Deo tribui nequeunt, ut per se notum est, & a concilio Constantinensi contra soliditatem Ioannis Hus & Vicleffi definitum.

12. Perfectio creaturarum quomodo sunt in Deo?

Nota denique Becanus tract. 1. cap. 3. post Vasq. disp. 70. cap. 2. perfectiones creatas secundum suam rationem, licet non sint formaliter in Deo, esse tamen tribus modis. Primò, in causa efficiente. Secundo, obiectiue, vbi intelligit. Tertio, expressiue & representatiue, vbi in idea seu exemplari. Unde fit, inquit, ut creatura habeat triplex esse in Deo: vnum eminens, alterum intelligibile, tertium ideale & representatiuum. Addere poterat quartum, esse volibile aut appetibile, respectu voluntatis, quæ a potentia & intellectu ratione distinguitur. Verum proprie loquendo, hoc non est triplex esse creaturarum in Deo, sed est ipsum esse diuinum, quod est causa, & cognitio, & idea creaturæ, cuius vnum & idem est esse, quod in Deo ut in causa continetur eminenter, quodque ab ipso intelligitur, & exemplariter representatur. Aliud autem est contineri eminenter, quod est contineri nobiliori modo, quam res ipsa sit in se; & aliud intelligi, aut appeti. Alioqui enim Deus seipsum contineret eminenter, & nos etiam Deum, quando ipsum appetimus aut intelligimus. Item aliud est contineri in Deo, ut in causa proximè effectiua, id est, in omnipotentia

13. Becanus. Vasquez. Perfectiones creaturarum tripliciter in Deo.



& aliud in eo contineri, vt in idea & exemplari. Et rursus contineri vt in idea, est aliud quam contineri in notitia Dei pure speculatiua. Deus autem vtroque modo res creatas intelligit, vt recte affirmat D. Thom. quaest. 24. art. 1. in corp.

SECTIO III.

De Bonitate Dei.

4. QUA D. Thomas q. 5. de bono disputat in communi, philosophica sunt, & supponenda potius, quam fusiùs exponenda. Siue igitur bonum sumatur absolute, pro eo quod in se bonum seu perfectum est, vt sumi videtur à D. Thoma q. 5. a. 5. & q. 6. a. 3. siue relatiuè, pro conuenienti & appetibili, seu per radice & fundamèto appetitionis, quæ ratio in perfectione fundatur, vt idem ait q. 5. a. 1. in corp. vel potius est ipsa rei perfectio: siue denique pro morali perfectione & rectitudine, qua res intellectuales peculiariter bonæ denominantur, bonitate morali, idque dupliciter: nimirum vel actuali bonitate, quatenus opera bona moraliter, id est, rectè rationi conformia exercent: vel habitu & appetitione quam retinent, quatenus sunt dispositæ ad bonè moraliter operandum: Dico Deum his omnibus modis esse summè & perfectissimè bonum, longèque excellentiùs, quàm ista creatura bona denominari possit.

15. Primum quidem bonitate absolute perfectionis excellentissimè bonus est: quippe qui omnem perfectionem formaliter continet, vel eminenter, vt superiori sectione ostensum fuit. Et confirmatur à D. Thoma q. 6. a. 3. in corp. vbi perfectionem secundum quam vnū quodque dicitur bonum, triplicem distinguit: primam secundum esse essentialè, vel substantiale; secundam, quoad accidentia; tertiam, quoad adaptionem & possessionem finis: conformiter scilicet ad illud quod dixerat de bono generatim q. 5. a. 5. in corp. post D. August. in lib. de natura boni, initio, Bonum consistere in modo, specie, & ordine. In specie, id est, in essentia & substantia: in modo, id est, in debita proportione eorum quæ essentiam seu substantiam afficiunt: & in ordine, videlicet ad finem. Deinde addit nullam esse creaturam cui triplex illa perfectio competat, per essentiam: sed solum Deum per suam essentiam habere omnimodam perfectionem: Ideoque solum Deum esse bonum per suam essentiam. Bonum, inquam, simpliciter & absolute in omni genere perfectionum, quas omnes in ipsa essentia formaliter vel eminenter continet. Solum enim Deus per essentiam est perfectus simpliciter & bonus. Quoniam in essentia complectitur omnem perfectionem: quæ ei maximè proprium est. Neque tantum per illam est bonus & perfectus, quia illam habet imperfectè priuatiuè, id

est, non caret vlla perfectione sibi dehitæ & conueniente: sed quia nullam habet negatiuè, id est, quia nulla perfectione omnino caret, cum nulla sit quam formaliter vel eminenter non contineat, & quidem essentialiter: ita vt vi essentia suæ habeat quicquid res creatæ habent per essentiam, per accidentia, per adaptionem finis, & infinite plura. Cum verò absolute & simpliciter dicatur bonum, id quod est omnino tale, & non ex parte aut secundum quid: potest dici absolute solum Deum esse bonum per essentiam, quia solus per essentiam habet totalem & integram bonitatem. Creatura verò sunt quidem aliquo modo per essentiam bonæ & perfectæ, quatenus habent totam essentiam, quantum habere debent: non tamen absolute in omni genere perfectionis, vt Deus: nec sine imperfectione dependentiæ, aliisque multis. Potest alio sensu dici solus Deus esse bonus per essentiam, scilicet quia per seipsum, & non ab alio, sed à se, bonitatem suam & perfectionem habet, quemadmodum solus à se habet essentiam & existentiam suam independentem ab omni alio. Et quemadmodum ea de causa dicitur solus esse, Iob. 17. v. 4. Nonne ego qui solus esse & simpliciter esse, Exodi 3. v. 14. Ego sum qui sum: Et, qui est misit me: sic ob eandem causam dicitur solus bonus esse: Nemo bonus nisi solus Deus, Luca 18. Et hanc differentiam inter Deum & creaturas in ratione boni eleganter expressit D. August. in psalmod. 134. ante medium, vbi dicit, alia quidem esse bona, vt celum, solem, lunam, stellas terram, homines, Angelos, &c. Verumtamen omne aliud bonum, alio bono bonum esse. Deum verò solum seipso bonum esse: bonum omnium bonorum, bonum quo sunt omnia bona, bonum sine quo nihil est bonum, bonum quod sine cæteris bonum est.

16. Secundò, bonitate conuenientiæ Deus est quoque summè bonus, cum sibi ipsi, quatenus habet perfectionem sibi maximè conuenientem & necessariò amabilem à se: tum respectu creaturarum, quibus omnibus est summè bonus, & summè conueniens per se, velut causa & finis omnium, vt fusiùs exponit D. Thomas q. 6. a. 2. & 4. Item quibusdam specialiter est bonus & conueniens, iure amicus, beatis & fratribus, studiosis vt causa exemplaris omnis iustitiæ, & caritatis, pauperibus vt author, remissionis & gratiæ, iuxta illud Hieremiæ Thren. 3. Bonus est Dominus sperantibus in eum, anime querentis eum. Eccl. 72. Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!

Tertiò, bonitate quoque morali perfectissimus est: tum per conuenientiam, vel eminentiam ad omnes habitus & actus virtutum: tum per exclusionem omnis malitiæ moralis & peccabilitatis, & per summam rectitudinem appetitus, quam habet ita connaturalem & intrinsecam, vt sit regula omnis bonitatis moralis, nec quicquam alieni

D. Thom.

BCu quid sit, & quousque dicitur?

15.

Deus est bonus excellentissimè bonitate absolutà.

August.

Solus Deus est bonus per essentiam.

16. Deus est summè bonus bonitate conuenientie.

D. Thomas

Deus est bonus perfectissimè morali bonitate.



à ratione recta operari queat: iuxta illud Psalmi 144. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & Sanctus in omnibus operibus suis.* Et 1. Regum 2. *Non est Sanctus ve est Dominus. Neque enim est alius, extra te: eo nimirum gradu & eminentia sanctitatis & iustitiae.*

17.

Neque obest huic rectitudini, & summæ bonitati morali diuinæ voluntatis, reprobatio, vel permissio malorum, vel concursus ad actus vitiosos voluntatis creatæ. Nam quod attinet ad reprobationem: Deus neminem reprobat antecedenter & à se: sed præuiso defectu conditionis necessariæ ad salutem, vel malo merito, ex parte creaturæ. Mala verò non ita permittit, quin seuerè prohibeat & puniat. Quòd si non impedit absolutâ & efficaci voluntate, ne fiant: id ad suauem eius dispositionem & prouidentiam attinet, vt ne creaturas racionales & liberas priuet vsu libertatis naturalis, vt dicâ paulò post. Quòd deniq; spectat ad concursus ad actus voluntatis vitiosæ agentis; magna est differentia inter creaturam liberè exercentem actum vitiosum, & Deum concurrentem ad entitatem illius actus. Deo enim non imputatur, nec imputari potest turpitudine peccati; quia illam nec vult, nec probat; nec tenetur impedire: sed potius cum ipse naturali necessi-

Cur Deo  
concurrenti  
non im-  
putetur  
peccatum.

tate creaturarum sit veluti supplementum aliarum causarum, quæ nihil possunt agere sine illius concursu: tenetur quodammodo concurrere cum causis secundis, tanquam naturale supplementum illarum, vbi illæ vires suas naturales exercere possunt, iuxtaque suum gradum & ordinem & conditionem operari. Creaturæ verò tribuitur & imputatur actionis turpitudine, quoniam creatura naturalem aut positiuam obligationem habet, ad abstinendum ab illo actu, propter moralem ipsius turpitudinem, quale debitum non est in Deo, quem potius æquum est concurrere, veluti causam primam, secundum exigentiam & determinationem causarum secundarum, vt ipsæ suum naturale veluti ius & libertatem operandi obtineant; & cum bene operantur, operentur eò melius & laudabilius, quòd transgressi fuerint, & transgressæ non sint. Duo autem in actu voluntatis peccantis positiuè distinguenda sunt: entitas Physica, ad quam totam Deus concurrat: & malitia moralis, ad quam Deus non concurrat, sed existit ex eo solum quòd creatura scienter & liberè operatur contra morale debitum. Sicut in musica, dissonantia vt vitiosa, est ab eo solo, qui contra leges musicæ canit; non ab alijs, qui peritè.

## DISPUTATIO QUINTA

### De Infinitate & Immensitate Dei.

Sectio I. *An, & quomodo Deus sit infinitus?*

Sectio II. *Soluantur obiectiones contra Infinitatem Dei.*

Sectio III. *De Immensitate, & Existentia Dei in rebus omnibus.*

Sectio IV. *Difficultates & nota circa doctrinam præcedentem.*

Sectio V. *Refertur & impugnatur sententia quorundam contra Dei immensitatem.*

Sectio VI. *Refutantur ea quæ respondent Aduersarij argumentis contra illos propositis.*



De Infinitate, & Immensitate Dei disputat S. Tho. q. 7. & 8. in quarum priori affirmat Deum esse ens infinitum, propterea quòd illius esse non est esse in aliquò, sed ipse est suum esse subsistens. Solumque Deum per essentiam, & simpliciter, infinitum esse: cætera verò omnia esse simpliciter finita, & infinita tantum secundum quid, quia habent esse receptum, & contractum ad naturam terminatam. Nullumque actu infinitum dari posse extra Deum: siue secundum magnitudinem, quia sicut quodlibet corpus habet formam determinatam: ita & determinatam quantitatem, quæ ad illam consequitur: & alioqui corpus